

Das Wilheringer Formelbuch »De kartis visitacionum.«

Herausgegeben von Dr. Otto Grillnberger, Ord. Cist. in Wilhering.

(Schluss zu Heft I. 1900, S. 119—127.)

70.

*1359. 4. September. (Hohenfurt.) — Abt Symon von Wilhering
urkundet über die von ihm vorgenommene Visitation des Klosters
Hohenfurt.*

[F. 28] Nos frater *Symon*¹⁾ dictus abbas in *Hylaria* anno domini MCECLIX in die sancti Marcelli martiris abbaciam *Alti Vadi* filiam nostram in Christo nobis dilectam secundum formam ordinis personaliter visitantes delinquentium ibidem excessus emendari volumus per submissa. In primis. Cum iuxta assumpti regiminis nostri curam hiis semper intendere debeamus, que fructuosum effectum monastice observationis poterunt validius inportare, eapropter in nostrorum statutorum primordio prioribus huius domus in remissionem suorum peccaminum duximus committendum, quatenus circa discipline regularis custodiam, chori sedulam frequentacionem ceterasque ordinis observancias sic studio intendant efficaci, quod preter divine retribucionis premium, quod ex huiusmodi utique consequentur, nostram nichilominus gravem correpcionem valeant evitare, committentes eis eciam, ut iuniores fratres ad seniorum reverenciam et tenendam pacienciam ac divini officii affirmacionem verbis ordinatis et verberibus sic inducant, ut in futura visitacione eorum diligenciam circa eosdem inveniamus sensibiliter profecisse, adicientes, ymo firmissime precipientes, ut quicumque domino abbati vel prioribus intra capitulum vel extra se procaciter opposuerint vel inobedientes extiterint vel ad portam de capitulo vel extra proprio motu sine iussu exierint penitentia gravioris culpe puniantur, et si [se] adhuc non emendaverint, usque ad nutum nostrum carceri mancipentur. Item quoniam sepius incauta libertas occasionem tribuit scandali et ruine, statuimus et ordinamus, ut nulli de cetero egressus ante portam nisi inevitabili necessitate compellente quomodolibet concedatur prioribus ac illis officialibus solummodo exceptis, de quibus a domino abbate est presumendum, quod bone fame sue custodiant nitorem. Sed quia ea, que contra bone consvetudinis exempla et nostre regule instituta tramite deviant, sunt non immerito resecanda, esum carniurn sic duximus restringendum, quod nullus de cetero, cuiscumque status existat, duobus senioribus abbatibus²⁾ dumtaxat

¹⁾ 1359 — 15. IX. 1360.

²⁾ Wohl Heinrich I., von dem Proschko, Gesch. von Hohenfurt, S. 13 bemerkt, man wisse nicht, ob er 1353 gestorben sei oder auf sein Amt freiwillig verzichtet habe, und der im Wilheringer Necrolog von 1462 zum 24. September

exceptis carnes comedat sine speciali licencia abbatis nec in absentia sua priores licenciam eas comedendi dare presumant legitima necessitate vel evidenti infirmitate inexigentibus non pensatis. Eisdem prioribus seriosissime iniungentes, ut unus semper in conventu maneat alio extra conventum constituto, nisi necessitas aliud exegerit faciendum, hoc adiuncto, ut cum maiori diligencia quam hucusque respiciant, quod omnes indifferenter tempore debito ad leccionem se recipiant inde non recessuri, quousque campana in refectorio pulsetur,¹⁾ iuniores vero fratres tam sacerdotes quam alios ad ampliorem leccionis frequentiam coercedendo. Volumus insuper, ut ipsi priores et presidentes licenciam loquendi monachis et conversis taliter concedant et amministrent, ut eadem licencia de hora ad horam tantum duret. Violatores quoque silencii notabiles mussitacionum²⁾ voces inter signa emittentes aut terciam personam pro utriusque colloquii suscepcione in medium statuantes cum pena in diffinicionibus posita et percepcione corporalis discipline taliter castigari volumus, quod per hoc ceteri, si non timore dei ac proprie consciencie debito, saltem acerbitate penarum ab huiusmodi excessibus retrahantur. Item cum hiis, que utilitatem monasterii inportant, intedere debeamus, statuimus, ut bursarius, quicumque pro tempore fuerit, censum et singulas obvenciones monasterii ad bursariam recipiat nonnisi de bono seitu et iussu domini abbatis distribuendo. Domino insuper abbati et cellerario seriosissime committimus, ut stillicidia in quibuscumque locis monasterii et ruinoso edificia sic reparent et restaurent, prout [ad] futurum periculum precavendum necessitatis ipsorum exigencie noverint expedire. Et ne unus excessus plurimis scandali materiam subministret, mandamus firmiter, quod hii, qui post completorium in choro decantatum ad spacium VII psalmorum a communi dormitorio se absentaverint absque racionabili causa, qua dominus abbas aut ...³⁾ tales duxerint excusandos, pro qualibet vice una die levis [culpe] penitencia percellantur. [F. 28'] Propter quod volumus, ut prior singulis noctibus ianua dormitorii cum clavi faciat obserare. Et quia propriorum⁴⁾ abdicacio sic annexa est regule monachili, ut nec ipse summus pontifex in ea valeat dispensare, interdicimus precise volentes, ne aliqua persona huius domus libros vel iocalia, quocumque modo censeantur, vel pecuniam quantamecumque habere presumat⁵⁾ in monasterio vel extra non

eingetragene *Sigismundus senior de Altouado*. Letzterer ist in den Verzeichnissen der Hohenfurter Aebte Font. rer. Austr. II. 23, 476 und Xen. Bernard. III, 336 ff. nicht erwähnt.

1) Nach pulsetur ein paar Wörter ausradiert.

2) *musicacionum*.

3) prior?

4) Nach propriorum *abdicacio* durchstrichen.

5) *presumant*.

petita prius licencia et obtenta. Si vero alicui fratri¹⁾ ex amicis aliqua pecunia offertur pro meliori sustentacione, non nisi ad receptionem IIII libr. Wiennensis monete dominus abbas, si ipsi expedire videbitur, cum eodem poterit dispensare, ita quod superstes pecunia ad communem bursariam presentetur pro monasterii sive officinarum utilitate. Si vero quisquam hoc transgressus fuerit, ablata per dominum abbatem ipsa re vel pecunia pena proprietariorum irremissibiliter percettatur. Volumus insuper et mandamus, ut diffinicio capituli generalis contra illos, qui secreta et negocia ordinis ad aures secularium deportant, edita cum omnibus penis et punctis observetur. Est autem talis, quod quecumque persona ordinis secreta aut correcciones ordinis quibuscumque personis ordini non sociatis, cuiuscumque condicionis vel dignitatis aut sexus existant, signo, voce vel nuncio vel litteris revelaverit, ipso facto omni amministrazione temporalium et spiritualium careat et sic excommunicata ab omnibus caucius evitetur. Qui vero super hoc convictus fuerit et comprobatus usque ad nutum capituli generalis carceri mancipetur. Possessionum distracciones, pensionum vendiciones, debitorum augmentaciones, personarum recepciones simpliciter fieri prohibemus nisi secundum ordinacionem domini Benedicti pape et de nostra licencia speciali. Hanc autem kartam ante futuram visitacionem alternis mensibus coram omnibus in capitulo recitari volumus, ne aliquis de ignorancia quomodolibet se valeat excusare.

71.

1360. 20. Mai. (Hohenfurt.) — Abt Symon von Wilhering visitiert das Stift Hohenfurt und hinterlässt die charta visitationis.

Anno domini MCCCLX in crastino Potenciane virginis nos frater Symon dictus abbas in Wilhering abbaciam in Alto Vado filiam nostram personaliter iuxta formam ordinis visitantes pro reformacione discipline ibidem omnes et singulos ipsius domus professos ad infra scripta cohortacionis nostre monita servanda striccius obligamus. In primis. Cum discipline regularis observancia²⁾ per inobedienciam et rebellionem evidenter dissipetur. hinc est quod non sine gravi nostre mentis perturbacione causamur et ymo dolendo conquirimur statuta preterite visitacionis nostre contemptibiliter obmissa et in nullo penitus observata. Quare p. . . .³⁾ officii nostri de⁴⁾, quo minus custodita comperimus,

¹⁾ patri.

²⁾ disciplina regularis observancie.

³⁾ Von hier an ist F. 28' ganz verwaschen, so dass vieles nicht mehr zu entziffern ist. Die vermuthliche Zahl der unleserlichen Buchstaben ist durch Punkte bezeichnet.

⁴⁾ debitum?

rursus compellimur innovare. Volumus igitur et firmiter precipimus domino abbati et prioribus, ut ad hec, que per nos prius et ex nunc sunt¹⁾ et scripta, maiori quam hucusque, prout gravem nostram indignacionem voluerint evitare. Quodsi secus tum fuerit, prior et subprior pro negligencia huiusmodi per dominum abbatem ab officiis de et nichilominus ipse dominus abbas, si prefatos priores, subpriores p²⁾ non correxerit, usque ad satisfacionem ab ingressu ecclesie sit suspensus. Adicientes, quod precise volumus, ut omnes et singuli monachi, qui de lege infirmorum fuerint, canonicas horas in capella infirmorum simul cum infirmario persolvant. Quod si quis obmittere presumpserit, in sequenti capitulo proclametur et panis et aque abstinencia puniatur. Pro quorum omnium observacione pariter et confirmacione presentem kartam sigillo nostro signatam prioribus constitucionis nostre scriptis e duximus annectendam.

72.

1362. 3. Mai (Wilhering.) — *Abt Otto von Ebrach urkundet über seine Visitation des Klosters Wilhering.*

[F. 29'] Anno domini MCCCLXII in die invencionis sancte crucis nos frater *Otto* dictus abbas in *Ebera* dilecte filie nostre abbacie in *Hillaria* annue visitacionis officium independentes reformacionem ibidem discipline regularis fieri volumus per submissa. In primis. Ut iam dicte regularis discipline flos, qui in hac domo, quod tamen dolentes referimus, quasi ex toto iam exaruit, refflorere incipiat et fructum faciat fiatque deo et hominibus acceptabilis, politum quoque speculum secularibus et exemplar, ordinamus, precipimus pariter et mandamus, ut conventus huius domus ad monastice discipline in cantando et legendo secundum statuta ordinis observanciam adeo studiose invigilet et insistat, quod ex propria virtute obediencie ad augmentum salutis ipsius destructa restaurantur, restaurata erigantur, erecta vero in omni sanctitatis gracia perseverent, priores domus sub debito obediencie obligantes, quatenus violatoribus³⁾ silentii vel notabiles vocum mussitaciones proferentibus penam in diffinicionibus positam infligant nulla dispensacione suffragante. Insuper cum cultus divinus inter filios dei summi regis servicio deputatus sit semper et ubique merito ampliandus, cum ex eo fructus copiosior apud largitorem omnium bonorum acquiratur, eapropter decrevimus salubriter ordinare, ut de cetero in omnibus vigiliis duodecim leccionum cantantes ac psallentes ymnus *Te deum laudamus* tam in choro quam infirmatorio ac aliis locis omnes veniam flectendo genua

¹⁾ finita?

²⁾ penis?

³⁾ violatoribus.

petant ad versum eiusdem ymni, videlicet *Te ergo quesumus tuis famulis subveni, quos precioso sanguine redemisti*. Item cum tam secundum instituta canonica quam¹⁾ etiam regularia in uno loco dormire debeant monachi et pretextu camerarum²⁾ seu cellarum multe sint inhonestates seu dissoluciones in ordine ac etiam in domo ista perpetratae sive inducte, nos vero super hiis expressius et salubrius providere volentes domino abbati domus in virtute sancte obediencie precipimus et mandamus, quatenus cameram in dormitorio infirmorum constructam infra mensem immediate sequentem destrui faciat et procuret. Infirmarius vero in communi dormitorio infirmorum cum aliis infirmis sub pena deposicionis ab officio deinceps dormiat, quemadmodum in aliis domibus ordinis laudabiliter observatur. Et quia ubi prudentia et moderancia fidei firmitate sunt vallatae, dolus minime potest sibi locum vindicare, ideoque omnibus officialibus, signanter magistro pitancie, qui est et pro tempore fuerit, prout nostram indignatione gravem vitare voluerint, mandamus preceptis iteratis, quatenus omnia residua, que ipsis in redditibus seu censu ultra necessitatem suorum officiorum in pecunia aut aliis facultatibus remanserint aut iam in presenti remanserunt, sub pena emissionis ad bursariam tradant et consignent, domino abbati super hiis serius committentes, ut de eisdem pecunia et facultatibus meliori modo que potuerit provideat monasterio, sicut sibi videbitur expedire et parti conventus seniori. Preterea cum subsidium Christi pauperum, quod [F. 30] augmentum decreto salvatoris exigit, sub culpa sacrilegii minuat, quam ob rem etiam precipimus et mandamus, quatenus porcio panis et vini ac alterius provisionis pro extantibus in hospitali antiqua consuetudine deputata sine diminutione qualibet assignetur. Et si neglectum fuerit, huius, quorum interest, tam diu sine vino maneant, quousque fuerit satisfactum. (*Articulus obmissus de monachis.*) Item seriose et sub pena panis et aque sine dispensacione qualibet infligenda precipimus et mandamus, ne aliquis monachus, cuiuscumque status sit, infra sompnum meridianum extra septa monasterii egredi audeat vel presumat. Sub eadem quoque pena precipimus, ne alicui mulieri, cuiuscumque eminencie sit, ingressus intra portam concedatur, nisi adeo sollempnes sint persone, quibus ingressus convenienter non possit denegari, in quibus conscienciam domini abbatis oneramus³⁾ Hanc kartam singulis mensibus coram omnibus legi volumus, ne alicui ignorancie excusacio quomolibet valeat suffragari.

1) quasi

2) Ursprünglich camerarii; die Correctur von der gleichen Hand.

3) onerancius

73.

1355. 26. Juni. (Reun.) — *Abt Otto von Ebrach visitiert das Stift Reun und urkundet über dessen Vermögensstand.*

Anno domini MCCCLV in die beatorum martirum Iohannis et Pauli nos frater *Otto* dictus abbas in *Ebera* filiam nostram in *Runa* in Christo nobis per dilectam secundum formam ordinis personaliter visitantes clara coram nobis computatione habita invenimus et reliquimus statum domus per modum infra scriptum. Receperant a visitacione preterita facta anno domini MCCCLII feria quarta proxima post diem penthecostis de omnibus proventibus usque in presens, hoc est per 3 annos immediate sequentes: Receperant in primo anno a die cinerum anni LII usque ad vigiliam purificationis virginis gloriose LIII quingentas et XXXIII marcas cum XXXVI den., item sexcentos et XV fl. Expense per idem tempus correspondent [receptis]. Receperant in secundo anno a vigilia purificationis anni LIII usque ad vigiliam purificationis anni LIII quingentas et XVI marcas cum VIII den., ¹⁾ item CCCC et XLIII fl. Expenderant per idem tempus tamen. Receperant in tercio anno a vigilia purificationis anni LIII usque ad vigilia purificationis anni LV quingentas LXVII marcas cum XV den., item LXXXIII fl. Expense receptis correspondent. Debita monasterii in universo mille CCCC et LXVIII fl. Pre manibus habent de vino vendibili XII vasa, item sufficienciam panis et vini usque ad nova. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus a tergo duximus imprimendum *etc.*

74.

... 12. November. ... — *Abt Christian von Lilienfeld?* visitiert ein Tochterstift von Heiligenkreuz (Neuberg?) und hinterlässt die charta visitationis

[F. 30'] Nos frater *C* ²⁾ dictus abbas in *tali loco* anno domini *etc.* in crastino beati Martini episcopi abbaciam in *tali loco* filiam reverendi in Christo patris et domini *N.* venerabilis abbatis sororem nostram auctoritate ipsius mandatoria personaliter visitantes omnibus sub religionis habitu ibidem virtutum domino famulantibus firmiter indicimus observanciam subscriptorum. In primis. Quoniam ager dominice servitutis tunc fructus producit uberes, coram deo odoriferos et acceptabiles, si diligenti cultura maiorum meruerit fecundari, domino abbati principaliter et prioribus huius domus firmissime iniungimus et mandamus, quatenus omnem curam sollicitudinis adhibeant, quomodo observancia re-

¹⁾ Nach den. *Item IIII C* durchstrichen.

²⁾ Vielleicht Christian von Lilienfeld 1358—1360 (vgl. Seb. Brunners Cistercienserbuch, S. 153; Xen. Bernard. III, 264.)

gularis discipline, quam, proh dolor, in hac¹⁾ domo diversis exorbitacionibus reperimus vulneratam, valeat²⁾ secundum ordinis decenciam aliquatenus reformari. Et licet omni hora divine laudis frequentia deo presertim militantibus dulciter sit amplectenda, missarum tamen tempore religiosus quilibet divine maiestatis in presencia ampliori devocione merito debeat incitari, quod tamen per discursus et excursus vanos tempore divini officii a personis domus et maxime officialibus minime reperimus custodiri. Quare a singulis personis huius auctoritate visitatoria precipimus et inviolabiliter observari volumus in futurum, ut omnes tam maiores quam minores consuetudine qualibet non obstante ad missam publicam et ad vespervas tergiversacione procul mota interesse teneantur.³⁾ Transgressores vero precepti nostri huius tam salutaris absque omni dispensacione⁴⁾ panis et aque aculeo volumus subiacere. Item cum apostolus scribat ad [F. 31] Hebreos de Moyse, qui fuit fidelis servus in omni domo domini sui, quod fide grandis est effectus *eligens magis affligi cum populo dei quam temporalis peccati habere iocunditatem, maiores divicias estimans thesauro Egipciorum in proprium Christi* et eciam sapiens quidam prudenter nos admoneat: *Difficile exiit negotiator a negligencia sua et non iustificatur caupo a peccatis labiorum* (difficile est enim inter⁵⁾ ementis et vendentis⁶⁾ commercium non intervenire peccatum), hinc est quod quendam de huius monasterii monachis⁷⁾ tunc temporis priorem, a vera et voluntaria paupertate militum Christi omnia humana lucra ipsius amore ut detrimenta reputancium [alienum] non quidem maliciose, sed sub quadam simplicitate negociaciones et mercimonia contra decenciam ordinis intelleximus exercere. Cui morbo tam pestifero et in ordine nostro insolito more archimandrite fidelis volentes succurrere⁸⁾ statuimus et firmissime precipiendo mandamus, quatenus dominus abbas et seniores huius domus tam grandis et inconvetsi mali materiam et occasionem amodo auferant⁹⁾ et tollant, sicut subditorum suorum salutem diligunt et gravem animadversionis stimulum in proxima visitacione evadere cupiunt. Ne autem ille, qui tanti mali auctor extitit, sibi videatur innocens et immunis, volumus

1) in hac zweimal.

2) vulneratam valeant.

3) Nach teneantur ab omni dispensacione durchstrichen.

4) absque omni dispensacione im unteren Rande von der gleichen Hand. Im Texte: ab (von späterer Hand in absque corrigiert) omni dispensacione absque; die letzten zwei Worte durchstrichen.

5) iter.

6) Nach vendentis peccatum durchstrichen.

7) monachum.

8) Ursprünglich occurrere; die Correctur von der gleichen Hand.

9) Ursprünglich afferant; die Correctur von der gleichen Hand.

omnino, quod cum deposicione sui officii omnium careat administracione usque ad proximam visitacionem tam spirituali quam temporalis. Si autem, quod absit, dominus abbas in contrarium huius nostre constitucionis aliquid attemptaret, ingressum ecclesie noverit interdictum. Item cum [F. 31'] salutaris observacio silencie, quia pacis et karitatis dinoscitur esse custodia [et] mentem religiosorum quoad devocionis meritum elevet et promoveat ad superna, statuimus, ut quicumque silencium suum, sicut revera absque omni timore dei sub magna abusione in ista domo sine excepcione loci et temporis mente lugubri conspeximus violari, de cetero ut in antea qui violare presumpserint penis in difinicionibus constitutis arcus castigentur. Item [cum] quod maiorum auctoritas statuit et provide promulgavit subiectorum obediencia tam debita quam devota non inmerito tenere compellatur, inde est quod simplicitas patrum ¹⁾ nostrorum in calceamentis corrigiatis, tunicis et gugullis, ²⁾ curiositatibus quibuslibet exclusis pulchriter ³⁾ [ut] hucusque reffloruit, sic eciam nunc et in reliquum ab universis personis huius domus senioribus et debilibus dumtaxat exceptis irrepagabiliter teneatur, sicut dei omnipotentis indignationem et future visitacionis aculeum voluerint evitare. Adicientes, quod quicumque amodo in dormitorio communi monachorum viltris ⁴⁾ aut substratoriis inordinatis uti presumpserint, sicut quosdam in hac domo in anime sue detrimentum et in plurimorum schandalum (!) abusive uti conspeximus, tam d u panis et aque castigatione percellantur, ⁵⁾ quousque quelibet tegumenta inordinata et insolita a se et lectis suis dimoveant et ad communia et consweta se convertant. Item cum non inconsulte scriptura sacra nos ad-[F. 32'] moneat, quoniam qui spiritu dei aguntur, hii eciam filii dei existunt, sic e diverso qui in carne sunt placere deo minime possunt. Hinc est quod esum carniuum, quem per totum annum nimis excessive contra omnia statuta patrum frequentari intelleximus in hac domo, taliter moderari volumus, ut iuxta regulam nostram concedatur solummodo debilibus et egrotis, aut certe, si abbati ⁶⁾ ex certa necessitate visum fuerit, iuxta concessionem Benedicti ⁷⁾ pape duos vel tres in mensa sua diebus oportunis recreare poterit, sic tamen moderate, ne necessitas illa transeat in voluptatem. Adicientes hoc seriose, ne minuciones quater in ordine monachis pro variis infirmitatibus concesses ⁸⁾ modo despiciabli et

¹⁾ patrum zweimal.

²⁾ Wohl cucullis.

³⁾ Nach pulchriter *effloruit* durchstrichen.

⁴⁾ Gemeint ist filtris.

⁵⁾ *precellantur*.

⁶⁾ *abbati visum*.

⁷⁾ Nach Benedicti *pa* durchstrichen.

⁸⁾ *concessas*.

abusivo amodo per carniū administracionem fiant¹⁾, sed sicut in matre nostra in *Sancta Cruce* et in omnibus domibus ordinatis fieri consuevit, per lacticia et pulmenta regularia cum piscibus et aliis rebus ad hec²⁾ spectantibus modo condecēti defugio semoto. Bursarius vel cuius interest et dominus abbas hec³⁾ commiseriter administrare non obmittant.⁴⁾ Quodsi aliter factum fuerit, quod absit, tam comedens quam administrans pene subiaceat levis culpe. Ceterum inhibemus...

75.

..... — *Ungenannte bekennen, das neu errichtete Oratorium in .. ohne Ueberschreitung ihrer Privilegien und ohne Beeinträchtigung der Pfarrkirche St. .. in .. besitzen zu wollen.*

[F. 32^a] Presentibus profitemur, quod oratorium nuper per nos erectum in nostra grangia . construximus et de cetero habere volumus sine privilegiorum nostrorum excessu ac sine preiudicio parochialis ecclesie *Sancti* .. in .. dyocesis .. omni casu et eventu, eciā si dicta grangia quocumque titulo vendicionis, permutacionis vel quouis alio modo ad quascumque personas ecclesiasticas vel seculares divolvi contingat. In quorum evidenciam...

76.

1379. *Fr. .. pagine sacre professor an einen Ungenannten:* Fratrem .. latorem presencium, qui olim, ut vobis lacius exponet, homicidium laycale perpetravit, ab huiusmodi homicidii reatu et aliis suis peccatis ad vos auctoritate domini nostri pape remittimus absolutum introitu sibi ecclesie restituto. Vos autem audita diligenter confessione et culpa ipsius considerata iniungatis sibi inde pro modo culpe auctoritate predicta penitentiam salutarem Datum in .. sub sigillo, quo olim ut *talis* .. presidens utebamur, anno domini *etc.*, pontificis sanctissimi in Christo patris ac domini nostri ..⁵⁾ pape sexti anno primo.

77.

1379. 1. Jänner. — *Schreiben eines Ungenannten:* Circumspectioni vestre committimus, quatenus, si est ita, iniuncta sibi absolutione previa a transgressionē huiusmodi pro modo culpe penitencia salutari accipiendum iter pro voto predicto complendo hinc ad annum unum inducias predicta auctoritate prorogetis eidem. Datum .. apud .. Kal. Ianuar. tempore assumpti apostolatus officii a domino ..⁶⁾ papa sexto anno primo.

¹⁾ fiat

²⁾ hanc.

³⁾ hoc

⁴⁾ committat.

⁵⁾ Urban VI.

⁶⁾ Urban VI.